



Tuo de aduersariis suis tot triumphos retulerat, in medio gloriae cursu, quam ipsi parauerat eruditio et virtus, mihi cedit: veritatem, quam oppugnabat, agnoscit; lauros, quas bellum diuinae veritati indictum ipsi praebuerat, reiicit, et vt Tuis verbis vtar, capiti suo detrahit, discerpit, ac pedibus proterit, castra veritatis sanctissimae in posterum secuturus, inque iis nouas, easque vere dignas lauros meriturus. Tum ego calamum de manibus posui, nullam vltius responfionem opponens aduersario meo. Hic enim *uiuus est triumphus* meus, quem iam omnis mundus adspicit, non meus quidem, sed solius veritatis. Hac me, indignissimum inter Euangelii ministros et Iesu Christi seruos, singularis Dei, cuius est abundantissima misericordia, beare voluit gratia, vt meo, quamuis tenuis hominis ministerio vti sapientissimo Patri placuerit, apud quem personarum non est discrimen. In genua procumbens ardentissimas Deo misericordiae, Patri luminum ago gratias, lacrimis prae gaudio effusis, quum os obmutescat, nec magnitudo affectus plura loqui permittat. Grates sint Deo et Patri Domini nostri Iesu Christi, qui multa misericordia Rothfischerum nostrum separauit, et vocauit per gratiam suam, vt erubescerent, qui veritati aduersantur. Corroboret ipsum sua virtute Deus, cui hodie oculos plane aperuit, et conuertit a tenebris ad lucem. Largiatur ipsi in dies magis magisque spiritum sapientiae et patefactionis, quo Eum cognoscat magis magisque; quotidie illustret oculos mentis ipsius, vt sciat, quae sit illa spes vocatis, et quae sit spes gloriae haereditatis diuinae, destinata sanctis, et quae sit excellens illa magnitudo potentiae ipsius in nos, qui credimus, pro efficacitate roboris virium ipsius. Ita fiat!

Insignis autem illius operae, quam eo impendis, Episcopo Romanae, quo a proposito, veritatem Iesu Christi vsque ad mortem defendendi, constantem nostrum confessorem auoces, vt aliquam mentionem faciam, cogit me ferme sermonis huius series.

Quamdiu adhuc firmissime credis, Praesul laudatissime, Rothfischerum nostrum ad errorem defecisse; quamdiu adhuc in animo Tuo haeret opinio de veritate religionis Romanae, non cessatis, omni opera eum ad reditum hortari. Patiaris, quaeso, in hac occupatione Tua a me moneri, esse media, quae elegisti, non ita comparata, vt Te ad finem propositum facile perductura sint. Nam, primo, litteris priuatis Rothfischerum adlocutus es, quae nihil, nisi preces et suspiria continent, nec animum sententiae suae conuictum, ab eadem abducere, et aliorum trahere omnino possunt. Deinde typis imprimi mandasti *epistolam*
illam